



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 9. De Clementia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)



in medijs iniurijs, & cōtumelijs dulci  
 commiserationis affectu perfunde,  
 vt dum iniurias remittimus, & pro  
 malis bona reddimus, tuæ scholæ fe-  
 ctatores efficiamur. Amen.

## De Clementia. §. IX.

**C**lementia est virtus, qua ad mode-  
 ratè puniendum mitescimus, &  
 pœnas delinquentibus infligendas mo-  
 deramur. Vel, est, vt Augustinus ex Aug lib. 30.  
 Tullio ait: per quam animi temerè in qq. q. 31.  
 odium alicuius illecti concitatique, co- Cic. 2. de  
 mitate retinentur. Vel, est, vt ait Sene- iuuētute.  
 ca, temperantia animi in potestate vl- Sen. l. 2. de  
 ciscendi: vel, lenitas superioris aduersus clem. c. 3.  
 inferiorem in constituendis pœnis. Vel  
 deniq, moderatio, aliquid ex merita &  
 debita pœna remittens. Quæ virtus li-  
 cet præcipuè resideat in principibus  
 & Prælatis, quorum est, delicta puni-  
 re: tamen minus principaliter est in  
 subditis, quatenus volunt, eadē deli-  
 cta clementer & leniter à superiori-  
 bus castigari.

Incitamenta ad Clementiã sunt:

I. Clementia Dei, qui in hac vita  
 infi-



insignia hominum flagitia minoribus satis castigationibus punit. De quo dicitur: *Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* In alia autem vita sicut præmio afficit ultra condignum bonos; ita punit citra condignum malos, quia posset in illos iure acrius animaduertere, & ipsos acerbioribus penis sine vlla crudelitatis nota castigare.

II. Clementia Christi Salvatoris, qui mulierem in adulterio deprehensam benignissimè liberavit, & ex proprio peccato compunctam, eius compunctionem pro satisfactione accipiens, sine vlla læsione abire præcepit. Cuius pietatem & clementiam cogitantes, inquit Cyprianus, non acerbis adeò, nec duris, nec infouendis fratribus inhumani esse debemus, sed dolere cum dolentibus, & cum flentibus flere; & eos quantum possumus, auxilio & solatio nostræ dilectionis erigere: nec adeò immites & pertinaces ad eorum pœnitentiam retundendâ, nec iterum soluti faciles, & ad communicationem temerè laxandam.

III. In-



III. Inducit consideratio fragilitatis humanæ, qua frater, ignorantia forte, aut passionis vi oppressus, peccauit, & propriæ imbecillitatis cognitio, quoniam ego in simili occasione ab hoste tentatus, & diuina gratia destitutus, foedius deliquissem. Hæc etiam virtus maximè erga Prælatum beneuolentiam subditorum conciliat. Quare Salomon: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & clementia roboratur thronus eius.* Pr. 20. 28.

Actiones Clementiæ sunt: I. Poenas, à delinquentibus debitas moderate remittere.

II. Defectus aliquos, non nimis graues, vt grauiores caueantur, & ne subditi proterui fiant, aliquando dissimulare.

III. Seueritate vti in homines malignos & procaces, qui aliter in officio contineri non possunt. In eos etiam, quæ lædunt bonum commune. Nam dum in membra sæuimus, in totum corpus clementes sumus. Est autem seueritas, inflexibilis animi rigor,

rigor,



rigor, nihil de statuta, aut merito peccata, remittens.

Postulatio Clementiæ : Domine Iesu Christe, qui misericors & clemens diceris, & quod in te est, magis eligis misereri, quam irasci; fac nos, peccatores & delinquentes fratres nostros agnoscere, ut dum eorum delicta ad seueritatē excitant, propria natura nostra, tua gratia decorata, mentem, in ultionem inhiantem, ad clementiam & miserationem infirmorum inflectat. Amen.

De Humilitate. §. X.

**H**umilitas est virtus, qua homo ex intima cognitione maiestatis diuine, & reuerentia ad Deum, atque ex verissima notitia sui, affectum reprimat excellentiæ sibi non debite, ab alijs despici appetit, & (quod ad se pertinet) in infimo se loco constituit. Descriptio hæc colligitur ex Thoma Aquinate. Sed aliam breuiorē & satis pulchrā assignat Bernardus, dicens: Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cogni-

D. Th. 2.2  
q. 161. ar. 6  
Bern. l. de  
gradib. hu  
militatis.